

Petrus de Vinea

*Ep. VI 1 (Nobile opus, sedentis
in solio eiusdem clementia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 1 (Nobile opus, sedentis
in solio eiusdem clementia...)*

post ottobre 1253

Priuilegium concessum Neapoli.

1. Nobile opus, sedentis in solio eiusdem clementia suadente, prosequimur, si per lubrica culpa deliramenta cadentibus ad subleuandi remedia se cito nostra manus habilitat, et indulgemus obnoxiiis ueniam post reatum: pulchrum uindictae genus existimantes ignoscere, et sic materialis gladii refrenare licentiam, ut, seuiendi uoluntate sopita, interdum temperemus misericordiae condimento rigorem, data nobis ab ipso fragilitatis humanae principio uoluntate quasi domestica miserendi, ut, dum primi parentis in posteros deriuata discrimina in naturalem quodammodo transgressionis normam defluxisse cognoscimus, reparationis gloriosae suffragia libenter supplicibus largiamur. 2. Eapropter presenti priuilegio nouerit tam presens etas quam successura posteritas, quod, licet uniuersitas ciuitatis nostrae Neapolitanae, dudum uel propter imminenti malitiam temporis uel, quod uerius credimus, ad falsas suggestiones calumpniantium emulorum ausa fuerit a nostrae uiae semitis deuiasse, et seductorum uerbis nutrita mendacibus in eiusdem erroris caligine coartata potius quam uoluntaria aliquamdiu perstitisse: propter quod et culpae uidebatur in dominum commisisse dispendium, et infamiae notam uitium agentibus incurrisse merito uidebatur. 3. Quia tamen, a fide uitio perfidiae separato, et post detectas fallacium uersutias labiorum, uia cognita ueritatis, unanimiter rediit ad fidei nostrae cultum, et regiae misericordiae ianuam humiliter propulsauit, nos, qui misereri elegimus potius quam ulcisci, omnes offensas et culpas uniuersas, quae ipsa propterea contra maiestatem nostram noscitur incurrisse, eis de clementia nobis innata remittimus: banna, in quae

forsan inciderit, misericorditer relaxamus, et omnem notam infamiae, cui uisa est propterea subiacere, de plenitudine potestatis nostrae decreuimus abolendam.

4. Recipientes ex nunc in antea ciuitatem ipsam ac uniuersos ciues et singulos ipsius in plenitudinem fauoris et gratiae nostrae sinum, restituentes eis omnia bona stabilia, quae tempore obitus... rationabiliter tenuerunt ac omnes bonos usus et approbatas consuetudines, quibus eiusdem domini obitus tempore... uti et gaudere sunt soliti; confirmantes eisdem, ut in oculis nostris ipsi sicut ad cultum noui domini redierunt, sic gratiae nouae fructum se gaudeant inuenisse, ipsos ab omnibus datis, collectis, et exactionibus aliis, usque ad quadriennium, de speciali munificentia nostrae benignitatis eximimus, quod, usque ad tempus ipsum completum, super hiis nullatenus impetantur.

5. Presentis itaque priuilegii auctoritate mandamus, quatenus nullus comes, uel baro, nullus officialis, uel eius uicarius, nulla denique persona alta uel humilis, ecclesiastica uel mundana, dictos fideles nostros ut aliquos eorum contra huius gratiae nostrae formam temere impedire uel molestare presumat.

6. Ab huius uero participatione prorsus eximimus duces et capita factionum, qui uniuersitatem ipsam uerbis inanibus per inuia deduxerunt: ad haec et quos, ut actus suos nefarios doleant, et in salicibus organa sua calamitosa suspendant, extra Regni nostri limites merito sancimus exilio puniendos, et omnia bona eorum stabilia fisci nostri iuribus applicanda decernimus.